Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 967
Quelle:
Copyright:

Hegenense Collegium Can. Reg. in Dioec. *Wormat.* initia sumsit circa an. 1135. *Hegenebense* vero Coenobium O. Cist. in *Hassia* fortasse antiquius fuit. Utriusque tamen aetatem praestans hic *Codex*, ut dictum, longe excedit. Igitur adquisitum tantum ab alterutro oportuit.

CCLXX. VII. C. 26.

183 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 242. f. currente calamo scriptus complectitur sequentia: I. *Isidori Hispalens.* Ep. Scriptoris Sec. VII. Opus *de Nativitate Domini, Passione, Resurrectione, Regno atque Judicio* ad Sororem suam *Florentinam.* Ad quam Praefatiuncula incipit: *Quedam que in diuersis temporibus in ueteris testamenti libris premunciata sunt* &c. Opus ipsum: *Judei nepharia incredulitate christum dei filium abnegantes* &c. ultima ejus verba sunt: *quia thabernaculum dei sancti eius sunt, in quibus habitat in eternum.* Rectius certe, quam in *Jac. Du Breul* edit. *Opp. Isidori* nostri *Paris.* 1601. f. ubi lacinia p. 579. adsuta evidenter ad alium Tractatum, scilicet ad *Allegorias*, vel plane ad *Eucherii Lugd. Formulas spiritualis Intelligentiae* pertinet. Librarius noster adjecit: *Explicit liber ysidori Toletani.* Vide et *Cod.* praeced.

II. *fol.* 26. *Incipit pharetra fidei christiane contra iniquos iudeos.* Dialogus est inter *Ecclesiam* et *Synagogam* constans *Partibus* II. quarum priore errores talmudici refutantur, posteriore constabilitur religionis christianae veritas. Praefatiunculae initium est: *Acuite sagittas, implete pharetras ad prosternendas vulpeculas* &c. Libellum hunc in *Hispania* olim repertum, referente *Nic. Antonio Bibl. Vet. Hisp.* T. II. p. 261. typis dedit in 4. absque loci mentione *Gundisalv. Garsias a S. Maria.* Extat et *Lipsiae per Conr. Kachelouen* 1494. 4. Autorem *Hispanum* suspicatur *Antonius*, eo, quod neminem Patrum praeter *Isidorum Hispal.* citet; sed *Echardus* in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 739. mavult illum *Gallum* et quidem Ordinis sui, ex illis P. I. c. 9. nobis *fol.* 29. p. 2. verbis: *Quare ergo non statim punitus fuit rex francie, qui non solum derisit sed etiam combussit omnes libros thalmuth in regno suo, et quare non fuerunt puniti fratres predicatores, qui hoc ordinauerunt?* Dispiciat Lector adhibito tamen in Consilium *Cod.* CCCLXV. ubi Autor *Theobaldus O. P.* audit. Tempus scriptionis inde liquet, quod P. I. c. 4. nobis *fol.* 28. p. 2. dicantur Judaei jam *mille trecentis annis* clamare, ut de manibus Christianorum liberentur.

III. *fol.* 42. p. 2. Tractatus contra *Hussitas*, qui *Cod.* CCCCXII. indicatus, ibique in subscriptione soli *Petro de Pulka* tributus est, quique incipit: *Jussit Reuerendissima vestra Paternitas ac metuendissima dominatio* &c. hic sequenti gaudet clausula: *Explicit*